

formulam, mox Ancyra Synodo confirmatam, prævalere iussit; qua Filius Deo genitori secundum substantiam similis prædicabatur: & in hac causa Semiariani in isto Seleucienſi Concilio, p̄specta Constantii voluntate absolutos Arianos dissimilitudinis assertores, ideoque dictos Anomæos, hoc est dissimiles, facile supplantassent, nunc sibi dissimilis Constantius ab Acacio circumventus contrariam priori a se probatæ formulam istam jubet a cunctis admitti & subscribi, appositis depositionis & exilii penis, quas incurrit & subire cogitur ipse Basilus, cujus solum formulam prævalere paulo ante Constantius edixerat. Eius itaque iussione Constantinopolim ad Synodum convenere quinquaginta Ariani Præsules, qui Principis novam mentem pro fidei oraculo sequentes, formulam ab Acacio editam comprobaverunt, quæ inter Arianas nona recensetur ab Athanasio, Hilario, & Socrate: cum tamen Orthodoxi unicam Nicænam professionem complexi sint. Hac itaque Synodo ab Acacianis vicissim depositi, omniæque communione exclusi sunt Basilus Ancyra, Macedonius Constantinopolis, Eleusius Cyzici, Eustathius Sebaste, alique Semiariani Episcopi; Aetius quoque ex Syria Presbyter nonnullorum criminum infamatus, novorumque dogmatum artifex, de gradu Sacerdotii dejectus est, tametsi Acacianus ac Arianus absolutus esset. Ista quoque Constantinopolitana Pseudosynodo depositus est Cyrillus Jerusalemitanus Episcopus, cujus in sedem Herennius Arianus promotus fuit.

4. Hilarius Pictaviensis solum Seleuciano Concilio Arianos Constantinopolim usque prosequutus, ut in ipsa Imperatoris regia tropæum Christi victor magnanimus erigeret, tres libellos supplices Principi obtulit, ut sibi per eum liceret de fide cum Arianis ipso præsentè disputare: scriptos etiam adversus hæresim Arianam libros offerre Constantio non formidavit: unum e duobus futurum sperans, ut vel Constantius, vel alii sectarii falsitatem & fraudes tandem aliquando dignoscere Arianismi; aut ipsemet ab iratis multa pro sacrosancta fide pateretur, aut martyrii palmam lucraretur. Sed neutrius voti compos effectus est. Cum enim ejus invictam dicendi vim & ingenii acumen pertimescerent adversarii, ne Orientem, ubi prævalebat Arianismus, Hilarius commoveret ulterius, Constantio persuaserunt, ut ipsum suam in Ecclesiam Pictaviensem remitteret, ut ipsum suam in Ecclesiam Pictaviensem remitteret, ut ipsum suam in Ecclesiam Pictaviensem remitteret. Nec satis admirari quis possit virum Orthodoxum & Episcopum tantopere Arianos oppugnantem, fuisse pacifice a Constantio pristinae Ecclesiæ restitutum, quo eodem tempore tam multos Arianos Episcopos exulare compellebat propriis dejectos Ecclesiis.

5. Macedonius Semiarianus postquam depositus Constantinopolitana sede in hac Synodo ab Acacianis fuit, novam invexit adversus Spiritum sanctum hæresim, cui divinitatem omnem impie abrogabat. Quamvis enim illum Patri secundum substantiam similem prædicaret, Spiritum tamen sanctum & substantia dissimilem, longæque Patre Filioque inferiore, quinimmo utriusque servum & subditum sacrilego dogmate asseverabat. Quam hæresim ejus sodales Basilus Ancyranus, Eleusius Cyzicenus & Eunomius propugnaverunt & propagaverunt. Ariani vero postquam depulso Macedonio, Eudoxium Antiochiæ Episcopum in sede Constantinopolitana collocarunt, in Eudoxii quoque vacuum sedem Meletium promoverunt. Et Meletio post ob Nicænam fidem, quam aperte profiteri post hanc promotionem cœperat, exaudorato, Euxojum succederunt. Quod utrumque factum est in ultima Antiochena Pseudosynodo. Contingere ista ann. 360. Sequenti vero 361. Constantius Imperator e vivis excessit, ab Euxojo paucis ante mortem diebus baptizatus Antiochiæ, ut testis est Athanasius lib. de Synodis.

SYNODUS LAODICENA,

Anni incerti sub Damaso Pontifice.

1. Nemo ante Annalium conditorem in dubium revocaverat, num istud Concilium fuisset Nicæno posterius. Veteres omnes Scriptores & canonum collectores Laodicenam Synodum post Antiochenam collocant in encænâ. In primis id constat ex antiquissimo Codice canonum, quo Romana utebatur Ecclesia, priusquam Dionysius Abbas suam compilasset collectionem; sive existimes antiquissimum illum Codicem eum esse quem Justellus, sive eum ipsum quem postea Quenellus edidit in lucem. Constat præterea ex accuratiorè Dionysii editione subsequuta, necnon ex Isidoriana, & aliis omnibus posterioribus ad usque Severinum Bi-

num, qui sibi legem imposuerat, ne latum quidem unguem a quacumque Baronii opinione discedendi. Constat & ex Synodo Quinifera, in qua textur iste Conciliorum ordo: *Confirmamus & ceteros Sanctorum Canonibus & Synodis: id est Nicænam, Ancyranam, Neocesariensem, Gangrensem, Antiochenam, Laodicensem, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, &c.* Leo quoque Papa quartus scribens ad Episcopos Britannicæ, Laodicenam mediam inserit inter præfaram Antiochenam in encænâ, & œcumenicam Constantinopolitanam sub Damaso. Nec vero jure veteris tantummodo possessionis, & saculorum ab antiquo traditione stabilitur hic ordo, sed ratione pariter inconcussa. Etenim Laodicæ can. 7. meminit Photinianorum hæreticorum. At Photini hæresis non nisi post Nicænum Concilium exorta est, unde inferitur, necessario Laodicænum Concilium Nicæno esse posterius. Respondet nobilis Annali- ita in translatione Isidori nullam esse Photinianorum mentionem: sed sufficit esse in exemplaribus Græcis: sufficit quoque esse in Dionysiana versione, quæ & antiquior & fidelior est omnium, atque adeo, ipsius Baronii testimonio, Isidori, quem ipse idem Baronius alibi defectui habet, vocatque falsarium mercium venditorem. Et ne divagetur extra Isidorianam translationem. Quæmadmodum, contra Græci exemplaris finem, Isidorus Photinianos subicit, quos Dionysius non omisit; ita pariter in Isidoriana canonis 19. Nicæni versione injecta legitur mentio Cataphrygum, quæ nec in Græco archetypo, nec in Dionysii translatione proflus videtur; sed tantum Paulianistarum, & quidem jure merito: Hieronymus namque scribens adversus Luciferianos diserte exprimit Nicænum Concilium omnium hæreticorum recepisse baptismum, præterquam Paulianistarum.

2. Ratio autem, cur Baronius, scriptor utique magni ingenii profundæque eruditionis, tanto studio contendit Laodicenam Synodum antiquiorem esse Nicænam, hæc est: quia Hieronymus in librum Judith sic præfatur: *Hunc librum Nicæna Synodus in numero scripturarum legimus computasse.* Unde vult Baronius pro certo inferre, Canonem sacrorum Librorum fuisse a Nicæna Synodo editum: quod tamen ex illo Hieronymi testimonio minime deduci potest, atque vacillat ista illius ratiocinatio: necesse est ut illa Laodicea Synodus Nicænam præcesserit, quia nisi præcessisset, non siluisset Laodicea in suo sacrorum Librorum Canone librum Judith, quem jam ante inveniatur Nicæna in suo de sacris Scripturis canone. Sed illatio ista ex falsis aut certe incertis derivata principiis nulla nititur veritate. Quia vox illa, quæ ibi utitur Hieronymus, scilicet *legimus*, de aliquo loquitur scriptorè, cui fortasse Hieronymus vel nullam, vel levem adhibebat fidem; & quidem parum fidei habuisse constat inde, quia ipse Hieronymus librum Judith plus quam semel excludit a Canone Divinarum Scripturarum. Hoc igitur argumento Baronius concludere potuisset, scripta Hieronymi antiquiora esse Nicæna Synodo; quandoquidem Hieronymus ipse non uno in loco declarat, non esse locum libro Judith inter Divinos & canonicos libros; scripsit ergo Hieronymus, antequam Nicænum Concilium convenisset. Eademque ratione probaret, Athanasium & Gregorium Nazianzenum suos, quos habemus, scripsisse libros, priusquam idem haberetur Concilium; cum certum sit, sanctos hosce Doctores a librorum Divinorum serie eundem librum Judith exclusisse. Enimvero Hieronymus in suo prologo galeato diserte negat, librum Judith esse hagiographum, asseritque apocryphum esse perinde ac librum quem commemorat Pastoris. Idemque librum Judith expungit a serie Divinorum librorum in cap. 1. Aggæi. Hoc idem repetit epist. 11. ad Furiam. Adde quartum simile Hieronymi de eodem libro testimonium, quo non solum suam aperit mentem; sed eam insuper universæ attribuit Ecclesiæ; sic enim effatur epist. 115. *Judith, & Tobia, & Machabeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit.* Similiter Athanasius in Synopsi, quam scripsit post multos a dirempto Nicæno Concilio annos, cui juvenis & tantum Diaconus interfuerat; libros Judith, Tobie, Sapientie, & Ecclesiastici, declarat minime Divinos aut Canonicos esse, additque hæc ex causa minime a fidelibus legi solere. Ignorabat videlicet tantus Doctor Nicæni Concilii decretum solemne, cui ipsemet interfuerat. Gregorius vero Nazianzenus, qui tempore Nicæna Synodi necdum erat natus, in suo de sacris Scripturis carmine non recenset in illarum serie Judith, Tobiam, Sapientiam, Ecclesiasticum, neque Machabeorum libros, immo neque Joannis Apocalypsum. Quin etiam suo Divinorum Librorum Catalogo ita subjungit: *et de tæton êkrot, êt êt zntois. Si quis profertur alius liber ab his recensitis, non*

non est germanus. Rufinus pariter Concilio prædicto longe posterior in symbolum Apostolorum, librum Judith cum aliis quibusdam sacris libris non accenset; quia illis ab Ecclesia non fuerant adscripti. Non igitur Nicæna Synodus, sed posteriora Ecclesiæ sanctæ decreta libro Judith Divinam adjudicarunt auctoritatem. Potuit fortassis aliquis ex Nicænis Patribus inter consultantum aut disputandum ex eodem libro testimonium aliquod quasi Divinum protulisse in cœtu Patrum, aut contendisse, ut liber ille sacro canonis adungeretur. Verum Catholici Theologi consentiant, multa in sacris Conciliis proferri ac affirmari, quæ tamen non sunt conciliariter (ut ipsi loquuntur) intelligenda, eo quod non intendat Concilium hæc Ecclesiæ præscribere aut proponere tamquam complete a se determinata seu definita.

3. In primis occurrit præfatiuncula, quæ Synodum testatur convocatum Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ ex diversis Asiæ Provinciis. Errarunt igitur, qui habitam dixere in cognomine civitate Laodiceæ Syriae ex futile conjectura, & tradidere huic interfuisse Theodorum Laodiceæ Episcopum, illum qui ad Nicænam legitur subscripsisse tertius inter Episcopos Cæsaryi. Porro ista Phrygiæ Pacatianæ Laodicea, quæ isto egregio Concilio decoratur, una est ex septem præcipuis urbibus Asiæ, quæ ab Apostolo Joanne in Apocalypsi commendatur. Ad hæc quoque Paulus singularem scripsit epistolam, ut idem testatur Apostolus Colof. 4.

4. Laodiceus Canon I. communionem illos ad aliquod tempus suspendit, qui secundas nuptias inierint, eisque preces & jejunia præscribit, antequam ex venia *κατὰ συγγνωμὴν* illis communio indulgeretur, his plane similia constituerat Synodus Neocesariensis canon. 3. ad quem respiciunt hæc nostri canonis verba *κατὰ τὴν ἰκκαλοπιστικὴν κανὼνα, secundum Ecclesiasticum canonem.* Et Basilus in suis ad Amphiloichium canonibus idem decernit. Quinimmo trigamos ad Eucharisticam communionem vix admittit post quinquennium exactæ penitentia. Adeo distincte primitiva Ecclesia vitæ puritatem, corporisque simul & animi munditiam exigebat in accessuris ad incontaminata & sacratissima Domini mysteria.

5. Can. II. *Eos qui in diversis delictis peccant, & in oratione, confessioneque & penitentia foriter perseverant, & se a malis perfecte convertunt, tempore penitentia eis proportione delicti dato, propter DEI miserationes & bonitatem, communitio concedatur.* Canone isto Novatianorum impietas perstringitur, simulque hæreticorum hujus nostri temporis novatorum. Meminit enim conversionis, confessionis, & peccatorum detestationis, quas res ut superfluas Lutheri Calvinique affecte fastidiunt, docentes, sufficere mutationis vitæ morumque correctionis nudum propositum. Cetera his adjuncta Divina clementia injuriosa esse, utpote diffidentia meritorum Christi, propriæque in suis meritis fiducia stabilitæ indicia. Hæc nostri canonis verba, *κατὰ τὰν ἐπιλογίαν τοῦ πταισματος, proportione delicti, nos instruant, pro modo mensuræque delictorum Deo satisfactionem deberi; nec quidquam frequentius legitur sacra veteris Ecclesiæ Concilia & Patres occurrit, quam canones diversas præscribentes penitentium satisfactiones, & earundem vel breviora, vel proluxiora tempora proportione habita delictorum. Ex Conciliis, quæ multa citari possent, sufficiant Concilium Ancyranum & Nicænum can. 11. 12. 13. 14. Ex sanctis Patribus sufficiat indicasse Cyprianum in multis epistolis, & serm. de lapsis; Basilium in duobus ad Amphiloichium epistolis; & Petrum Alexandrinum in canonibus penitentium; Ambrosius epist. ad Virginem lapsam: *Grandi plage (ait) atra & proluxa opus est medicina, grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.* De injunctis vero a Sacerdote satisfactionibus sic injungit Gregorius Magnus lib. 3. in 1. Reg. cap. 7. *Afflictio penitentia ad delenda peccata idonea est, cum Sacerdotis judicio fuerit imperata, cum ab eo consentium actibus discussis, pro modo criminis onus eis detrimatur afflictionis.* Postremo Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 8. jubet injungi a Sacerdotibus satisfactiones pro qualitate criminum.*

6. Can. III. *Non oportere eos, qui recens sunt illuminati, in ordinem Sacerdotalem promoveri.* Paria decernit Nicænus can. 2. Vide inibi a me nota.

Can. IV. *Non oportere sacros Clericos fœnerari, & usuras, & que dicuntur lucra sescupla, accipere.* Vide huic conformem Nicænum can. 37. cum ceteris ibidem allegatis. Sescupla, quæ græce *ὑποκία*, usura genus erat, in qua creditor, & rem mutuatam seu æquivalentem, prætereaque dimidii accessionem recipiebat, ut qui duo dederat, tria reciperet; qui viginti, triginta. His addè can. non licet fœnerari, dist. 46.

Can. VII. *Eos qui ex hæresibus, hoc est, Novatianis, Photinianis, aut Tesseradecatis convertuntur, sive cate-*

chumenos, sive qui apud illos fideles dicuntur, non admitti, priusquam omnem hæresim anathematizaverint, & præcipue eam quæ derinebantur. Et tunc deinceps eos, qui apud illos fideles dicebantur fidei symbola discerere, & sacro chrismate immundos, sic sancto mysterio communicare. Vide paulo superius nostra in istud Concilium præliminaria, in quibus probamus istud Concilium Nicæno esse posterius, atque adversus quosdam adversantes querelam intentamus de termino moto. Illi tamen adversarii adhuc excipiunt haud esse credibile, quod Laodiceani Patres baptismum Photinianorum approbavit, cum reprobatum legatur a Concilio Arelatensi secundo, can. 16. his verbis: *Photianos sive Paulianistas secundum Patrum statuta baptizari oportere.* At percontari lubet, undenam adversarii colligant, per hunc can. 7. approbati Photinianorum baptismum, cum de baptismo ne verbum quidem dicat, sed de hæresi quacunque abjurganda, de instructione circa res fidei, & de chrismatione, quam verissimiliter existimo intelligendam hoc loco de Sacramentali manuum impositione, quam dicimus Confirmationem. Cum vero canon de quibuscumque hæresibus statuat, & speciatim aliquas denominet, quacunque hic statuuntur, non cunctis indiscriminatim applicanda sunt, sed diversimode inter singulos sapienti discretione distribuenda; non enim omnes isti conversi ab hæresi erant baptizandi, sed illi qui Photini peste recens orta erant infecti. Itaque magna Photinianorum pars jam dudum fuerat intra orthodoxam Ecclesiam baptizata, paucissimi eam a parentibus susceperant, utpote noviter exortam. Qui ergo semel lavacro regenerationis aliquando abluti, postmodum hæc lue contacti assati fuerant, hi nullatenus baptizandi erant, sed eo adducendi, ut hæresim ejurarent. Præterea permulti tum Catholici, tum hæretici, sive urgente vitæ discrimine, sive etiam solemnibus Paschæ & Pentecostes diebus a loci Sacerdotibus baptizabantur absente Episcopo, qui utique non poterat in omnibus Ecclesiis baptismi præfens adesse: & his extra baptismum chrismatio ab Episcopo aliis temporibus erat adhibenda. Plerisque etiam hæreticis promiscue, quemadmodum & orthodoxis, inceserat voluntas, quæ illis temporibus frequens erat, differendi baptismum ad usque vitæ exitum, atque istis sive Catholicis ab initio, sive hæreticis, conferendum erat baptismum, quo nunquam fuerant initiati. Soli vero Paulianistis & Photinianis religione conformibus, & Sabellianis Divinarum personarum abnegantibus veritatem, etiam sacrilegum in hæresi baptismum sine debita Trinitatis expressione susceperant, necesse erat conversis, lustralibus baptismi aquis secundum Ecclesiæ ritum perfundi: ut fuerat ante paucos annos generali Nicæno decreto definitum.

8. Can. X. *Non oportere eos, qui sunt Ecclesiæ, indifferenter suos filios filiasque cum hæreticis nuptiarum fœdere conjungere.* Hujus functionis multiplex est ratio. Primum, hæreticæ pravitatis odium. Secundo, periculum perversionis alterius ab altero. Hæc allegatur ratio circa matrimonia cum gentilibus, Deuter. 7. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo, quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis.* Tertia sumitur ratio ex profanatione Christiani conjugii, quod unum est ex Ecclesiæ Sacramentis. Huic similem can. 14. edidit œcumenica Synodus Chalcedonenſis. Vox tamen *ἀναγκαστος* indifferenter, quam habet canon iste Laodiceus, innuere videtur, posse aliquando nuptias cum hæreticis permitti, ubi gravis subest ac rationabilis causa. Eandem sanctionem iterat quoque epistolis; & Petrus Alexandrinus Concilii can. 67. a Gratiano insertus cap. non oportet cum omnibus, & cap. cave, 28. q. 1.

Can. XII. *Ut Episcopi judicio Metropolitanorum, & eorum Episcoporum, qui circumcirca sunt, provehantur ad Ecclesiasticam potestatem diu examinari, & in ratione fidei, & in recte conversationis exemplo.* Habetur cap. Episcopi, dist. 24.

9. Can. XIII. *Non est permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provehendi.* Habetur in Decreto, cap. non est permittendum, dist. 63. de Episcoporum electione, vide superius Nicæni can. 4. cum ibi adnotatis. Populi quidem suffragia olim ad Episcoporum electionem admitti solere; secus tamen ad minorum Sacerdotum & inferiorum ministrorum promotionem. Sane populi testimonium circa vitam & mores cujusque ordinandi requiri solebat, juxta Apostolum, 1. Timoth. 3. *Oportet illum & testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt.* Quinetiam populus ipse nunquam aliquem benemeritum ad inferiores sacros Ordines postulabat, & impetrabat. Testatur namque Paulinus epist. 45. se Barcinone aliquando fuisse ab Episcopo Lampio initiatum Clero, & sacramentum ad illius populi postulationem. Augustinus etiam refert epist. 235. Pinnarium fuisse ab Hipponensi plebe instanter postulatum,